2k.

FONTES
PURPUREI
Inter auspicatissima Hymenæi Solemnia
In unum trabeatum Oceanum defluentes
Seu
CELSISSIMUS, ILLUSTRISSIMUS, ac EXCELLENTISSIMUS DOMINUS.
D. STANISLAUS LUBOMIRSKI,
Sacri Romani Imperii
PRINCEPS
Comes in Wisnicz Jarostaw & Koniecpol
SUBDAPIFER Regni Capitaneus Sandecensis &c.
ac
ILLUSTRISSIMA
HONORATA POCIEIOWNA
MDL. Excubitoris Lectissima FILIA
Ad Avitum suorum Fluviorum confluxum
Nec non inter Geniales applausus
EXUNDANTES
A devinctissimis Collegio Luceoriensi, & Missione Vlodimiriensi Soc: JESU Epithalamica Panegyri
CELEBRATI
Annô quô Fons Vitæ in mare magnum & spatiosum defluxit 1740.

LEOPOLI. *Typis Collegii Leopolien: Soc: JESU.*

AVITA
In
DECORA
ILLUSTRISSIMORUM NEO SPONSORUM.



Non uno SRZENIAWA fluis quid flumine velox?
Nec ſolus blando murmure, tollis aquas?
Fors dicis: non poſſe uno nos littore claudi,
Littore multiplici gloria noſtra fluat.

I.

Flumina non præſtat motos componere fluctus,
Vobis, quæ juncto curritis amne ſimul.
Sed tantis undis dum lata Polonia gemmat,
Tempeſtas ſemper ſtat pretioſa Tagi.

II.

In mare defluitis tribuunt quod flumina juncta,
Et quod theſauro divite nexa fluunt.
Lechia non poteris fluvios ſuperare rubentes,
Cum Ganges Hermo mixtus, inundat humum.

CELSISSIME ILLUSTRISSIME ac EXCELLENTISSIME
PRINCEPS

VBi altus Trabearum color, ubi junctis viribûs fœderati Amnes, in unum conveniunt Oceanum, ibi & flumina Oratoria nunquam interrupta serie illabuntur PRINCEPS CELSISSIME. Nunquam enim fontes eruditi delitescunt solitarii, nunquam Letheîs innatant undîs, quibus profundè immersi, in æquor non exuberent; sed suo torrente amplissimo, adeo emergunt, ut purpurarum Rubiconi se se immisceant. Habent sanè illam latitudinem, qua sivè sæculorum pretium, sivè gemmas Senatorum, sivè Amnem Sydonium, sive non uno ostio Gangetem deciduum, intercipiant. Quare defluunt hodiè undæ Castalis in mare, ipso tabo liquescens, neq; motos componunt fluctus, cum exundans Tuorum titulorum affluentia, etiam campos opprimat Oratorios. Si Te, ponti viscera, thesauro divite pepererunt, idcirco sudas decores Erythræos, ut frontis eruditæ rores, imbibas ad majora gloriæ Tuæ profluvia. Gemmat ad præsens Polonia, seu secunda Piscaria, purpureum Vestrum fontem complexa, cum seu Pactolus & Hermus, in amatos confluxistis vortices. Venâ prodiga stillat immensus honor, cum littora congrua, Majestate Vestra attigistis; atq; vel ideò his turget gazîs, ut amplissimis Principum dotibus universus locupletetur orbis, Postquam verò Domus gemi-

na, se junxit fœdere sociali, quid sperare poteris integra Sarmatia? Nisi quod ab omni Cælo fundetur Eridanus magno SRZENIAVÆ *linquens sydera. Non immeritò, tergemino* Korczak *illaberis. Solum etenim illud defuit* LUBOMIRSCIANO *Pelago, ut cum omnem in Polonia sangvinem exhauserit, latitudine sua etiam trifluvium attingere debuisset; Illud ad fastigium Dignitatis suæ diluens, quod nullus, eum amnis prætereat, qui affusus lymphis purpureis, Tyro non rubeat. Idcirco, in gaudia se se effundit tota Polonia, cum* Srzeniava Tuus *divite procellâ effervescens ad Orbis pretium exundet. Principem dignitatem* Tuam *eo celsiùs erectam spectamus, quod* Illustrissimo POCIEY *annexa, sublimiùs suam ascendit eminentiam. Igitur, tot decorum conscia, in Vestris amnibus se mergit Polonia, pulcher sangvis, Vestro profundo se se immiscet, integer verò Orbis libens aflunditur. Admitte itaq;* Subdapifer Regni Celsissime *inter millia Tibi defluentium vota, ceu, guttam ad Oceanum hanc sæpiam, quæ minimô fluentô exuberat, sicut enim* Tuus Srzeniava, *fit hodie alti sangvinis sinus, Ita gremium inveniat in Pedibus* Celsissimis Loiolana *JESU Societas. Utiq, hac non nisi votorum plenitudine redundat, quam Tibi ad Hymenæi tripudia poteris exoptare, scilicet.*

Hæc Tibi Penelope fidissima cedat Ulyssi
Tarquinium Thalamis nostrum Lucretia semper
Summis confoveat, tanto victura Marito.

Ita vovet

CELSISSIMO ILLUSTRISSIMO Nomini & honori Tuo perenniter devinctum.

Collegium Luceoriense ac Missio Vlodimiriensis Societatis JESU.

QUi capit immensas fluctu telluris arenas,
Qui vastos aperit fontes, & temperat æquor,
Neptunus pelagi domitor, lymphasq; coronat,
Cæruleas hìc fundit opes torrente capaci,
Exundans subitò crescit, miscetq; procellas.
Tempestas pretiosa Tagi jam littore toto
Sarmatiam replet, septem ceû ostia Nilus
Recludit stagnantis aquæ, mox flumina vergit,
Et cursu rapido placidum collimat in æquor.
En Celeres lapsus! velox SRZENIAWA *tetendit*
Et socium Korczak *festinîs passibûs urget,*
Non Scillas metuit, non Syrtes atq; Charybdes,
Sed meliore vado ventis dat vela secundis,
Et junctus geminis undis festinat in altum
Oceanum, nexuq; suo diffundit Hydaspen,
Purpureum jactans mare totò gurgite plenum.
Hoc, dum vidit Hymen, salientes excipit amnes
Mox remeare jubet per cunctas orbis habenas,
Fontibûs immersus toto aggere gaudia fundit
Et similes lymphas Crystallo porrigit orbi
Semper gemmifero volvens torrente decores.

ILlo margine felicitas Poloniæ hodie intercipitur, quo exundans CELSISSIMORUM PRINCIPUM sangvis, per abrupta Regni istius jugera, per latissima terrarum spatia, ex-

tra littus aſcendit ſemper, diluvium præſtans etiam in exteras Regiones. Illo latice vaſtiſſimus SRZENIAWA coronatur, quem ad ſui ſangvinis profluvium exambiît, ad Titulorum Archipelagum exuberavit, ad ampliſſimæ Domùs abundantiam promanavit. Sanè flumen iſtud, non abyſſos progenerat, quibus immerſa Proſapia CELSISSIMA, nunquam ſcaturiat ad Oceanum immenſum; ſed ſuæ Celſitudinis profundum adeò evibrat, ut orbem impleat univerſum. Pridem exuberavit Amnis iſte, ad torrentes ipſo murice defluentes; at ubi, fæderato nexu attigit Trifluvium, curſu deciduo eò protendit ſuam magnitudinem, ut latitudinis ſuæ terminum ignoret. Si anchoram bonæ ſpei Divinior Thetis undis ſolet committere, Avito LUBOMIRSCIORUM pelago iniiciat, eſt neceſſe; quòd navim Reipublicæ per undas ſuas adeò dirigit, ut extra naufragium ad portum felicitatis fauſtiſſimæ, decurrat. Vehit iſtud ſpatioſum mare fortunam Cæſaris, quam nobilior Leonida illo ſinu excipit defluentem, quo Hermus gemmas, Hydaſpes corallia, Ganges auream arenam. Collidunt ſe, inter Hymenæi Veſtri ſolemnia undæ beátiores ad illas procellas excitandas, quæ tempeſtatem pretioſam Tagi protrudant ad limites Poloniæ locupletandos, Non invidemus Arabiæ, mare Erythræum, ex quo plures fabulæ divites, quàm pretioſi emergunt fluctus. CELSISSIMUS SRZENIAWA quot

guttas

guttas continet, tot gemmas coronarum: quot Viros, tot pretia Regnorum; quot sociales fluvios, tot unionum Piscarias. Stagnat Pactolus Vester ad confluxum illius profluvii, quod aureo imbre irroratum intra venas sangvinis trabeati diluitur. Jam visceribus alti Oceani immersus Vester Rubicon, murmurantibùs undîs illos resonat applausus, quos neq; dulcisonæ Syrenes inter strepentes lymphas svaviùs Ulyssi profudissent. Jam superatis fluvios Iberos, postquam liquescentes nuptiales tædas ad illas Ceras nobiles diluitis, quæ ad fulgorem Poloniæ, ad Celsissimum Patriæ decorem, ad Vestri sangvinis splendores dissolvuntur. Jam illa universo orbi accrescit exundantia, quam aggregatis profluviis per integram Poloniam profudistis: saliunt præ gaudio beatiores lymphæ, illaq; expumant corallia, quæ, pro munere, vestro diademati insculpantur. Fervent concolores sibi fluvii, illam arenam commoventes, quæ fortunatam reddat Patriam. Pacatum mare si nunquam credimus, non compescimus intra fibras pectoris, illas procellas, quæ grandi impetu pulsant ostia Sarmatiæ, sed perruptîs vallibûs illam latitudinem permittimus; quam redundantes exambiunt amnes. Affluxus populi quem tranare ad portum felicitatis vestræ concessistis, guttam solummodo fæderato pelago adjecit, qui concatenatus adeo diffunditur, ut,

quælibet illius ſtilla æquor efficiat. Æmulas ſanè undas cernimus; quæ eô contendunt curſu, ut citatîs fluctibûs illi profundo ſe ſe immiſceant, quod rivos ſcaturiat ad protendendam Patriæ felicitatem. Quare, dum in magnos Conjuges animi pupillam impenſiùs defigimus, fortunam hìc nubere fortunæ, honorem jungi honori, Principum permiſceri ſangvinem, inſignes deniq; animi dotes, cum magnis ſocietatem inire virtutibus deprehendimus. Naturæ fortunæq; dotes, ita per connubialia jura in vos defluxerunt, ut remige fortuna in unum amnem coeant. Fontes, ſangvinis purpurei eſtis, id eſt purpurarum affluentia, honorum Piſcaria, pelagus dignitatum. Vobis immergitur, quidquid per titulos diſtinguit honor. Veſter ſtemmatis Oceanus, affinis oſtro. Permitte ergo CELSISSIME CAPITANEE, talem te ad elogia proferre, qualem ab origine latex Sydonius effudit, id eſt altus trabearum color. Tui aviti fluminis profundo, optavit immitti fons limpidiſſimus, ut celſiùs aſſurgeret, poſtularunt naufragari dotes Senatoriæ, ut emergerent purpureæ. Utq; ad tuæ Majeſtatis normam ſociales tituli concurrerent, tuo inſigni SRZENIAWA voluerunt innatare. Quid quid enim beata perennaturum ſorte, ipſa etiam populorum deſideria vel optare poterant, vel precari, intra avita Domûs utriuſq; decora Polonus concluſit

ſit

ſit Orbis. Huc ſe prodromá totius Lechiæ effundit gloria, ut maximæ gentis amplitudinem, illi committat Oceano, qui ad exoptati Hymenæi pompam exundet luculentiùs.

Jam nos in mare iniicimus Celſiſſimi SRZENIAWA fontem purpureum ſcrutaturi. Sed quo nos auſus appulit? illi profundo immergi? quod terminum ignorat? atq; vaſtitate ſua voraginem excedit? Incautum plerumq; eſt, illum marginem tranare velle, quem Dii tantum enavigant. Interim parces calamo CELSISSIME SUBDAPIFER Regni; audax enim elogii genus eſt, etiam illa elaborare contendit, quæ humanas vires excedere videntur. Tendimus itaq; non tam calamô quam remîs, quos Palinurus honor per immenſum æquor protendit. Rivulus veſter ex Druſorum antiquitate emanat. In quem una cum titulis, Regni felicitas illapſa. Hujus principia exordiri placeat. Non poteſt enim ad Nominis ILLUSTRISSIMI Majeſtatem ebullire laudatio, niſi è primo fundo ſcaturiat. Illa ſe magnitudine metiuntur LUBOMIRII qua in Imperatoribus Druzyis Auguſti, in trabeatis Principibus Celſiſſimi. Si revocamus retroacta ſæcula? tot revolvunt ſplendores fulgentiſſimos, quot in Julii Cæſaris, & Auguſti Octavii ſceptris, Cai Claudiiq; ſupremi Romæ faſcibus, ſupremos. Druſorum enim ſangvis in hoc flumine altum egit. Ita

Lubomirſcianæ Domûs origo.

vobis Cæsarum gens cognata, ut radius Titani. Ita arbor consanguinitatis Vestræ, sua summitate Cælo proxima, ut in familiæ Vestræ palmas omne Dodonæ nemus abiisse profiteamur. Crevistis ex illa stirpe quæ sylvam Honorum in Romano Imperio progeneravit. Illam plantam Poloniæ intulistis/ quam neq; Xerxis Platanus uberiorem produxisset ad poma aurea, ad folia Regalia.

Aurelius Druzus primus in Poloniam descendit.

Primus Aurelius Druzus suæ Domûs radicem fixit in Polonia, quasi totum Imperium parvus mundus Eidem fuerat ad germen Augustissimum dilatandum. Implantatus itaq; Latii septicollibus, Alpes Sarmaticos exambiit, ex Cæsarea Domo in campum electoralem descendit, ut omnium Polonorum regnaret in affectibus, & propriis meritorum ceu albis calculis, atq; sui SRZENIAWÆ ablutus lymphis esset ad maxima quæq; Candidatus. Et sanè aureis suis imbribûs, in Pactolum exuberavit, tot gemmas, quot LUBOMIRIOS Lechiæ infundendo. Porrexit se hospes tantummodo Regno nostro, & Regis Lesconis Serenissimi oraculo plusquam Delphico proclamatus, quod illam secum advexerit fortunam, quæ per tot Imperiales partita purpuras Tyrium muricem affundat Sarmatiæ. Quare, rubuit statim sub hoc ostro, quamprimum gens hospitalissima, talem excepit Domesticum. Ad auream deniq; libertatem, illum Principem invitavit, qui au-

reô suô

reò ſuo Nomine theſaurum gentis liberæ auxit ac ditavit.

Acceſſit huic Nomini ceu aurum auro cumulatum, CELSISSIMUS NICOLAUS DRUZUS ad trabeas Cracovienſes natus. Vidit Illius oris Majeſtatem Polonia, & à fronte Ejus ſuſpenſa, vultum ſuum defixit ad Principis eminentiam. Immortales itaq; gratiæ, vobis trabeata virorum ſeges DRUZII, quòd in campum Poloniæ altiſſimum, vel ideo deſcenditis, ut manipulus veſtræ gloriæ ad faſces Senatorios ſe ſe colligeret. Primus purpurata ſcaturigine Veſter alveus in eum exundavit Eridanum, qui immenſus decurrit per orbem univerſum. Si Cæleſtes fluvii intra terrarum margines poſſent effluere, illum curſum exoptaſſent ad ſuam latitudinem. Si honorum abundantia in venas purpureas ebullire deſideraſſet? hòc fretô agitata incaleſceret. Omnis agger perruptus eſt intra ripas Poloniæ quominus Tituli impetu fluentis aquæ delaberentur in DRUZIOS. Id circo orbis inferat quanta antiquitas purpuræ in LUBOMIRSCIIS! quanta generis Majeſtas! quanta inundatio honorum. Veriùs ſanè veſtræ trabeæ purpuraſcunt quàm, ſi integrum ſorberent Tyrum.

Nicolaus Druzus Palatinus Cracovienſis.

Sed tantumne hic torrens eſt? quo Veſtræ dignitatis amplitudo in immenſum ſuccrevit Oceanum? Profundiùs calamum immergimus, quò ſalientes ſangvinis procellas

Primus Marcus Druzus nominatur Lubomirz Caſtellanus Zawichoſtenſis.

extra-

extrahamus. Emerserunt Poloniæ majora solatia, qoſtquam à DRUZIIS ad LUBOMIRIOS colligata profluvia delapsa. Primus Marcus DRUZUS, Comes EXCELLENTISSIMUS, non priùs LUBOMIRII nomen assumpsit quam amorem Patriæ in se contraxisset. Ille ad Castellani Zawichostensis evectus curules, ad grandes titulos præivit Nobilissimus Antesignanus. Et ubi exordia DRUZORUM præambulum fecerunt gentis Augustissimæ, ibi ex tanto Senatore continuata prosapia ascendit thronum suæ gloriæ. Referant fasti Sarmatici quantum aurô cedrôq; annotârunt originem Domùs CELSISSIMÆ. Profectò, ut ad immortalem memoriam stylo perenni obsignavit gentem istam Polonia; ita Lesconis approbante oraculo munivit ad indelebiles famæ characteres. Evicerunt nimirum merita Senatoris ILLUSTRISSIMI, ut coronatum caput ad elogia se se inclinaret. Et meritò , nam ut tanta prosapia assurgeret; Principe lacerto succollari debuerat, ut ad mensuram meritorum gloria vestra extenderetur, Regia manus palmum adiicere cogebatur, Amplitudinem Dynastæ istius, vel exinde colligimus, quòd Pater Comitum fuerat, Principum antecessor, LUBOMIRSCIANÆ originis directa linea, unus: summa omnia. Cunctîs tamen hîs dignitatibûs majus encomium meretur, quòd primus LUBOMIRSKI diceretur. Non vano

omine

omine in Palatinatu Sandomirienſi de Domo iſta egit Senatorem, in meditullio enim Poloniæ ſuum deſigens paſſum, ſecundiſſimum germen ferre non poterat, niſi in media Lechiæ ſtetiſſet arena. Utiq; & ſoles ubi in medio ſteterint Cælo, ſupremi adorantur. Quare ſummis æquales LUBOMIRII poſtquam Sarmatiæ meditullium poſſederunt, vel inde Cives Patriæ à corde, Proceres Regum à latere, primum vivens Reipublicæ & dici merentur & eſſe.

Jám cervus, Lublinenſis Palatinatûs ſitibundus LUBOMIRSCIANÆ gloriæ, recurrens ad fontes aquarum SRZENIAWÆ, tranat æquor iſtud, qui exhauſit pontum univerſum repletus ILLUSTRISSIMO PAULO LUBOMIRSKI ad curules. Palatinus Is, ut ex Nomine vas Electionis ſtillans liquores purpureos, ſummis impletum honoribus, ita unus faciem Reipublicæ repræſentans coram gentibus. Eum fama memorat in acie bellica ſtrenuiſſimum, qui ſicut manum in hoſtes fundendos, ſic cor effudit in Patriam. Multos Martio cruore irrigavit campos, ut perfidas vicinas Poloniæ gentes, fidem Lechis Paulus ſervare docuiſſet. Tam fortia ſecundo flumine tulit ſubſidia; ut nec momentum effluere pateretur, quin in emolumenta, Regni, in commiſſæ ſibi Provinciæ felicitatem deſudaſſet. Hinc furentes belli Charybdes, ceu Pacator quidam Neptunus compeſcuit. Si verò recenſebimus,

Paulus postmodum Lubomirſki Palatinus Lublinenſis.

 quan-

quanta in Palatinatu ſuo Nobilitatis gratulatione acceptus hic Senator, nunquam ſatis explanari poteſt, quantùm plurimi apertis cordium portis tantum Hoſpitem expectabant, omnes ſtraverunt iter votis ſuppedaneis, ut velociùs properaret. Et ſicut diu SRZENIAWÆ paſſi ſitim, ita tædiô arſerunt diu, ut refocillati tam vivis ſtillicidiis reſpirarent ad propriam ſalutem. Depoſuit cornua Cervus Lublinenſis, gemmam Senatorum ſuo capiti inſculpens. Dicam veriùs in arcus impendit triumphales, ut illis valvis ſe ſe inferret Prodromâ titulorum abundantiâ, quibus publicæ fortunæ vectus rotâ Palatinus, aſcendit viam Appiam ad Curules. Illud tamen ad immortalitatis ſuæ gloriam maximum præſtitit, quod geminos filios Sol Pater in lucem edidit, utroſq; primæ magnitudinis aſtra, ambos ILLUSTRISSIMI Parentis non obſcura Parelia. Primus Atlante humero Hungariam ſuſtentans, contra Solymanum vires enervans, mahinâ belli obrutus heroice occubuit ne moles Ludovici Hungariæ Regis ruere videretur. Alter Adalbertus non ſub roſa Nominis claritatem aſſervans. Nam rectèfactorum magnitudine adeo eminuit; ut non uno climati illuſtrando natus fulgore ſuo etiam exteros Soles repleverit. Hic ad electionem Auguſtiſſimi Rudolphi Legatus, Auſtriaco polo in ſe uno Cælum attulit. (Non enim Patrii ſolum lares, verùm & orbis

Albertus Lubomirſki, Filius Pauli Palatinus. Legatus pro electione Rudolphi Cæſaris. Comes S. R. I. ab eodem creatur.

& orbis integer habet, quod à vobis radium derivet; quô circumdatus Phæbo Principe incaleſcat.) Expeditus itaq; in Imperialem electionem illa authoritate fungebatur, quâ nec Cyneas præditus: quaſi nunquam inter ſciſſos partium animos ſtetiſſet Cæſarea moles, niſi manum operi admoviſſet LUBOMIRIUS. Mentis Boleslai interpres, Majeſtatis Polonæ vox publica, os Regni, idcirco extitit; ut omnî tituló conſpiraſſet, ad exprimendos Romano Imperio gentis Polonæ favores. Effecit id Nuntius præſtantiſſimus; ut ſuffragantibus ſuis meritîs Imperiales Coronæ ad gloriam aſſurgerent triumphalem. Cùm ferebantur calculi in Rudolphum Auſtriacum, nullos magìs candore notabiles ad diadema accepit candidatus; quàm SRZENIAWÆ ablutos aquis. In admirationem ſe extulit biceps Germaniæ Aquila; poſtquam alitem Polonam illius ingenii eſſe adverterit; ut prima ad Solem Auguſtum adorandum evolaſſet. O quantum tunc inter illa exteri Cæli ſydera eminuit! unus tot valuit, quot omnia Regnorum pretia, tanta felicitate votorum concordiam perſvaſit LUBOMIRIUS, ut cæteris aſſenſum imperare videretur. Evicit id oris ſui ſtrenuitate, concluſit rationibûs ex profundo SRZENIAWÆ petitîs; ut palmam aliis ad coronam præriperet. Accepit propitium ſuo ſolio Numen Rudolphus, illudq; vulgato ſuo diplomate publicum effecit:

cit: quòd LUBOMIRII non solùm Electores fiant Cæsarum; sed etiam creatores. Ne autem sine nova accessione tituli, rediret in Poloniam Legatus supremus, insequebatur Eundem Cæsaris fortuna quam partitam tanto sangvini esse voluit. Gentem integram titulis Comitum per Alamanniam & totum Romanum Imperium insignivit, vel ideo, ne solitarius regnare videretur. Imperii flammam vigilem suis focis adhibuit Adalbertum; ne unquam extincta, in cordibus vigeret singulorum. Augustissimæ Coronæ Achatem suis gratiis munivit; ut orbis didicisset quantùm gemma Poloniæ ab universis æstimari debeat! Posteris igitur documentum præstat LUBOMIRSCIANA activitas, quòd illorum meritis Regna coronentur illorum, fluviis Cæsares ad Insulas festinent fortunatas.

Sebastianus Lubomirski Castellanus Voynicensis.

Post tanti viri memoriam ceu in porta Annibal occurrit vobis SEBASTIANUS LUBOMIRSKI Castellanus Voynicensis, qui pro Deo & Patria quæ egerit? omnia dicere sæculorum labor est, orbis scribenda historia. Herculei labores Ejus, quos sudoribus bellicis auctos, intra fibras concluserat, loquantur magnitudinem. Jam decrepitã suam ætatem? trabeis submiserat, quæ tabo hostium respersa humeros ascendit Victoris Purpurati. Quasi ut grandævus Pater Patriæ orbi appareret, non priùs aureo filo contextum muricem brachiis admovit,

vit, nisi vitæ suæ stámen per labores assiduos pro bono publico innodasset. Attritos usibus Poloniæ humeros, nunc primum Honori consecravit, cum pro libertate toties litans sanguinem; victimam se ipsum immolasset. Illius si merita omnia deberent coronari; omnes laureas evacuaret Bellona, quibûs canum caput obarmasset. Mars si cuncta spolia contulisset tanto Hectori, plurimæ adhuc virtutes ejus bellicæ, sine præmio abiissent, multæ sine stipendio sine æquali Heroicis actibus mercede. Pro colophone tamen illud referam ad gloriam maximam: nempe quòd ceu Egeon Herculem reliquerit; ita prolem suam ad universi solatia profuderit. Hic Nominis sui famam tam longa protendit serie, quàm stabilis laudis prototypon usq; ad tuam CELSISSIME SUBDAPIFER Regni trahit lineam. Genitus Vir iste Regnorum fortunæ, cùm in orbis totius commoda creatus. Sive enim in senatu Lechico effata ejus recenseam. Neq; Catones neq; Tullii salubriùs oris facundiam ad salutem Reipublicæ resolverant. Sive heroicas ejus dotes palam faciam Alcidam excedit, qui sparthanum pectus pro muro Patriæ toties opposuit, quoties Mars adversus, Regno pericula minabatur. Sive legationes ad primos Europæ Monarchas liberali describam calamo? non tutiùs pro Jove stetisset Mercurius, nec pro Agamemnone Nestor, nec pro Pyrrho Cyneas; quam pro

Stanislaus Lubomirski Palatinus Cracoviensis Abavus Illmi Subdapiferi.

 Polo-

Polonia STANISLAUS. Ardebat in Imperio belli flamma, quam Othomānus vesano furore accenderat, æstuabant ardores Orientis, quos Thracum Vulcania conceperat, omnes Urbes & Provinciæ, ceu Troja in cineres & favillas abiissent, ni isti Vesuvio ad extinguendos calores bellicos sangvis Europæ sufficisset, ni LUBOMIRSCIORUM SRZENIAWA erūpentes pyras alluisset. Ille ceu Æneas Anchisem de grandi Germaniam extulit incēdio, Aheneum pectus superbo objecit hosti, quasi terminalem Colossum ictibus adversis. Pugnavit non sine laurea, non sine triumpho, adeo ut vocalis Bellatoris echo, non ære conflatîs tormentîs tantum, sed totô Europæ Taurô cladem hostium Ducis victoriam personaret. Nec sorte caruit conflictus iste, qui ultra prodigium assurrexerat, æquitatem enim tam grandis meriti ad libram vocans. Ferdinandus Tertius pondus addidit fortunæ Imperii, Bellatori strenuissimo. Pro laurea mitram imposuit capiti, nova accessione tituli fecit Celsissimum atq; indelebili charactere ad purpuras obsignavit LUBOMIRIOS, in Bulla sua aurea, Phæbos Principes Celsissimos declarans. Hi digni coronato capite sensus sunt. In id a prima statim ætate incubuisti, non modò ut per vetustum Familiæ Tuæ decus conservares, ac perpetuares, sed etiam propriis virtutibus, atq; ornamentis illustrares atq; eveheres. Hocq; studio accensus

Princeps R.I. à Ferdinando 3tio Idē creatus.

Verba privilegii Cæsarei.

„accensus in Patria, Toga Sagoq; nullius prorsus ibidem, sive belli, sivè intestinæ commotionis, absq; eximio præsentiæ, fortitudinisq; Tuæ interventu, expers. Hucusq; præclarissima præstando, non solum de illa, sed & de sacro imperio; totoq; orbe Christiano, optimè meritus sis, &c. &c. Insuper Tibi Ipsi, id laudis tribuat, Christianus, quôd de ea Turcarum ra bie, ex magna parte bellum contra Osmanum commemorando, cui ipse, non solum profueris, verum etiam summa cum authoritate, fortiter æquè ac feliciter, glorioseq; confecto præiveris, triumpharit. &c. &c.

Talem pro Domo sua Oratorem habuit STANISLAUS, qui cum cor effudisset in ejus amores: nihil habuit præterquam illud, ut Imperiali ore demonstraret ad maxima quæq; natos LUBOMIRIOS. Ita faustior Trajanus Plinium sortitus encomiastem, nec Pacatus pro Theodosio rotunda periodo meliùs perorasset quàm Ferdinandus pro Stanislao.

Phænix Poloniæ è cineribus suis provolavit & Celsissimus GEORGIUS LUBOMIRSKI Mareschalcus Regni, qui vel ideo sub calamum invitatur, ut dignitate sua etiam sæpiam adimpleat. Hic cum VLADISLAO IV. educatus pro lacte bibit muricem, cum Reges habuerit collactaneos. Et quod amplissimæ non poterant Poloniarum terræ, unus implevit Regale pectus, adeo intimus; ut anima vi-

Georgius Lubomirski Regni Mareschalcus Proavus Celsissimi Capitanei.

deretur. Meruit poſt tanta Regum conſortia; ut nunquam diviſus etiam à ſolio Majeſtatem occupaſſet, ſed dici noluit, niſi cor Patriæ, id eſt in Corpore Reipublicæ primum vivens. Et brevi in ſenatu adolevit, cum primus Miniſter ſtatûs latus poſſedit Vladislai. Mareſchalcus Generalium Comitiorum aurea libertatis voce, non ſemel proclamatus, præivit ante faciem Regni totius. Ne tamen greſſu tantùm Mareſchalcus; ſed etiam conſiliô Sarmaticus Scipio præiret Regibus, mens Regum, corona capitis, tenia Majeſtatis, toties reſplenduit, quoties ad mentem Vladislai omnia perſvadere conabatur. Magnum hoc & niſi Veſtrum LUBOMIRII ut amari à Regibus ſic coli ab iiſdem. Sublimis eſtis ſangvinis color! & ideo vos niſi alti murices ſibi adſciſcunt. Amor Regnorum eſtis, & ideo vos niſi auguſta corda habent ad delicias. Vos Procerum Hæredes, Ducum ſucceſſores, vivá Heroum imago, & ut in compendio dicam: Omne titulorum exhauſit altum Georgius, omne ſublimitatis emenſus eſt profundum, & ut intra marginem ſuæ dignitatis ſteriſſet, virgam directionis in ſenatu accepit, quâ ſolum minatus ſeptemtrioni, Moſcum deterruit, Szeremetum profligavit, totum exercitum in fugam cöegit. Apuncto ſangvinis immenſi ad longiorem lineam deſcendimus. Avi tui menſuri dignitatem. Metire orbis animum heroem ex nomine,

Alexander Lubomirſki Capitaneus Sandecenſis Avus Cel-

mine, & in uno ALEXANDRO adora popu- ſiſſimi Capitanei,
lum majorem, habuit ſecundum Macedonem Poloniа, Magnum illi Princeps Lucina Nomen dederat, majus liberalior effecit fortuna, maximum innata probavit magnanimitas. Magnus inter honoris culmina, inter prælia animo & invicta fortitudine ſupremus, cui ut non interrupta ſæculorum militaret gloria, continua Principum ſerie LUBOMIRSCIANAM Domum ſuîs obligavit titulîs, quibus ſucceſſores totidem, quot filios, Nepoteſq; dedit. Quaſi Capitaneatum Sandecenſem innata teneritudine aut jure communicativo ſemel SRZENIAWÆ CELSISSIMO interceptum, nunquam transfundere voluit in Domum alienam. Favit illi tempus omne, campus quilibet in Laurearum ſe ſe explicabat fertilitatem. Nec inamænus locorum horror, nec ſævæ bellorum tempeſtates Victori obfuere, quominùs revireſcerent in triumphos. Alexandro tandem huic: cum unus orbis non ſuffecerat, in alterum, gloriam ſuam tranſtulit. Ut Rhodius coloſſus oppreſſit terram, qui tumulo immiſſus miraculum orbis hucusq; adoratur. Occubuit adinſtar ſolis, qui etiam in occaſu de magnitudine ſua non demittit.

Sed ubi Trabeata flumina minore lembo trajecit oratio jam mari purpureo illabitur. Superavimus Lymphas, quas torrens fluidiſſimus ad diluvium ſangvinis invexerat; æquor

Georgius Lubomirſki Palatinus Sandomirienſis, Parens Celſiſſimi Capitanei Svecorum

Victor Castrorũ Regni Metator Soc: Jesu Szarogrodi Fundator Coniecepoli Benfactor.

nobis tranandum est, quod plusquam septifluo amne exuberans, divisit undas in orbem universum. Illud proximum nostris obtutibus occurit CELSISSIMUS GEORGIUS LUBOMIRSKI Palatinus Sandomiriensis, curulium decus, trabearum color, bellorum terror amorq; Corona Filii, Parens Tuus Capitanee Celsissime. Quæ hactenus SRZENIAWAM auxerunt Laudis incrementa, in illo mysta fluunt. Ceu Phosporus suæ serenitati præcessit; ut meridiem titulorum denotasset Sol in geminis in prole sua Celsissima. Vidit illum Polonia [quin & orbis suspexit) militẽ in acie, Ducẽ! in prælio, in curia Senatorem. Lubet innuere Ejus præclara gesta, quæ integro orbe æstimanda libram mentis expostulant. Cum juventutis suæ agilitatem ad Lilia Franciæ retulisset, tam acclini vertice Principem hospitem salutarunt flores Galliæ, ut annutu ipso Regem suum agnoscere viderentur, atq; labrîs argenteis latissimê explicatis, ipsa vultûs vernantiâ exprimere, quantum à conspectu ejus odorem svavitatis imbiberint. Olet optimê hucusq; toti Regno bonus odor illius, viret recordatio, quôd Polonæ Juventutis florem Regno illi intulerit. Ubi vero se amoverit à Regno illo, non sine commotione totius Galliæ, Vir ipsi telluri gravis, movit gressus, Motus enim illius movebat in Rege lacrymas, ciebat singultus in populis, agitabat gemitus in præcordiis singulorum.

Post-

Postquam autem inde in Imperium, id est in amplissimum gloriæ suæ theatrum migraverat; qua serenitate oculorum biceps Germaniæ Aquila Phæbum hospitem non aspexerat? quâ animi benevolentiâ Viri prosperrimi fulgorem, gens splendoris avidissima non acceperat? Non sine turbine invenit Germaniam, cùm undiq; circumfluentium hostium phalanges Viennam cingebant, quam ceu Pacatus Sanctior, fortitudine sua fecit incolumem. Pluribus enim annîs pectus suum, opposuit pro muro Viennæ, & sparthanô fortior defendit, manum pro clypeo Austriæ recludens; quam nec Scævola generosiùs pro Roma sacrasset, sicut pro Josepho & Carolo Cæsaribus, Heros Georgius. Unus planè castra præstitit, quem victoriarum Ducem generale robur Exercitùs, generalissimum Imperatoriæ militiæ Antesignanum virtus strenuissima fecit candidatum. Tam prompti obsequii succursus, non aliud stipendium retulit, nisi universalis Ducis titulum; quem ut Nomine ita Herculeo robore pridem merebatur. Rediit itaq; ceu Aquila magnarum alarum triumphalis, in nidum suæ Patriæ, unguibûs suîs laurus referens, quas pro spolio retulit in arena Belli. Et eô triumphalis ingressus ejus resplenduit Poloniæ, quòd ceu in occursum suum plenam hospitibûs Poloniam repererit. Agitabantur etenim tunc Comitia eligendo Regi convocata, & regressus ejus ab ex-

teris ad complementum Nobilis Coronæ expectabatur, quaſi pro Sereniſſimo Auguſto ne ex uno multiplex ſuffragium defuiſſet, tempora ipſa præcipiti curſu labentia, rotâ ſua devolvebantur, ut illum Principem in votorum circulum devexiſſent, qui in Coronam abiiſſet Electori Saxoniæ. Agnovit Princeps Poloniæ coronatus, ad ſolium Regni Electus, majoris momenti calculum hoſpitis in Polonia, cujus dexteritati æternas ſubſcripſit gratias; quaſi ſuffultus ejus amoribûs non magis exoptabat thronum gloriæ aſcendere; quàm regnare in corde LUBOMIRSCII. Atq; non lynce oculo fortunam hanc ſuam Rex admiſerat, nam repoſuit tam amplis favoribus penſum gratitudinis, cum eô momentô, quô radiis circumdatus Sol orbis Lechici, ſtatim lucis ſuæ amplitudinem porrexit advenienti ſyderi. Sandecenſem Præfecturam, primum veluti purpurarum mane reſtituit, quod ſucceſſione aſſidua reſpiciebat Domum CELSISSIMAM. Sed tantumne illo munere devinctum cor Auguſti poſſederat? tantumne erectus ſtetit ad gloriam? Vocat nos Martis acies, in quam deſcenderat cum Rege Sereniſſimo, quam non una calamitas exacuit ad vulnus. Imprimis etenim Leo Sveticus toto jacuit Regno, ſemper oculîs dormiens apertîs, & ferocitate ſua inhians Sarmatiæ, cruentos jactabat ungues. Nec poterat vigilantiſſimus heros longiùs ſuſtinere do-

lorem,

lorem, quem hoſtis Regni aluit ad vulnus, Audaciæ ſtipendiô ſuffultus (quæ mille gladios non exhorreſcit) in ipſos obvius enſes proceſſit, atq; primô prœliô ad LIZBORK aggreſſus eſt hoſtem, qui ipſo ejus aſpectu territus, cùm vultus heroicos non poſſet ferre, terga vertit. Secutus ultra Svecum, ne fugâ etiam triumpharet, ita victore gladio Caſtra metatus; ut poſt ſtratos cadaveribus campos, poſt hoſtium tumulos erectos. Eò illum vincendi ardor extulerit, ut nec regredi de Caſtris voluiſſet, niſi Metatoris caſtrorum titulo coronatus, quem Victori Polono redeunti cum trophæis obligata obſtrinxit Patria, Rex liberaliſſimus pro debito honore computavit. Neq; hic terminus grandium titulorum fuerat, itum eſt ad Palatinas Curules, itum ad trabeas Senatorias; quæ ultra ſe ſe obtrudebant Principi Celſiſſimo, quaſi majorem eminentiam non poſſent contrahere, niſi ultro devolutæ in ejus Majeſtatem. Superi boni! dicite quantùm in uno Viro honor ſua compendia collegerit, quantùm dignitas opprimebatur fulgore, cùm verticem illius attigerat. Certè, non ampliùs exambiebat aſcenſum ſuæ gloriæ, cùm, ſplendore Principis illuſtrata ſemper vixit Sereniſſima. Ne tamen ſolûm ex hoc capite gloriam omnem poſteris tranſcripſiſſet, adjecit & virtutum magnitudinem, quæ adeo concentrabantur inter Purpuras, ut Numam ſuum ſemper adorarent.

rent. Non prætermitto CELSISSIME PALATINE Tuam munificentiam ſingulariùs excolere, quam in Societatem JESU, quantumvis auream, vocalem reddidiſti, Miſſio Szarogrodenſis, Pantheon eſt profuſæ liberalitatis Tuæ, quod ſicut omnis Sanctimoniæ lapis circumdat, ita dona Tuá obfirmant. Exſtruxiſti monumentum perennis munificentiæ, ubi rudis illa plebs, & ſimplex, ad Sancta omnia excitatur, & Te pietatis proclamant Fundatorem. Neſcit fines in limitibus Regni beneficentia Tua, etiam ubi Koniecpolii, ſortem adjeciſti, ſed Coloſſum erigit triumphalem, plus ultra Mecænatis ſui nomen attollens. Quotquot deniq; Baſilicas erexiſti, tot Templa honoris Tui, in quibus ſupplices pro Te Cælo voces effunduntur, Sacræ victimæ immolantur, tanquam pro illo: qui non unum movit lapidem ut Pietas habeat ſua penetralia, Divinus honor aras excolat, & devotus populus refugium inveniat Sanctimoniæ.

Mater Illuſtriſſimi Subdapiferi Regni ex Familia Antiquiſſimá Comitum Starchauſen.

Hactenus Paterni Nominis gloriam maximo inveximus triumphorum Capitolió, Jam eò provectus eſt ſtylus, quò ſe Maternus exporrigit honor. Aſcendit ille ultra terrarum culmina, & omnem nobiliſſimæ Domus plantam per ipſa refert faſtigia. Principum, Regum, Imperatorum ſangvis, purpurarum Murex, Coronarum gemma, CELSISSIMA JOANNA COMITISSA de STARCHAUSEN, quæ

trabeati

trabeáti nexu ſangvinis. totidem ſibi obligat titulos, quot Imperia coronatos adorant Prîncipes. Domus enim hæc, ex qua prodiit, cum Germania nata; tunc lucem aſpexit, cùm Soles Auguſtiſſimi in Auſtria orirentur. Lineam ſangvinis ducens non uno incepit à capite coronato. Ex hac gente plures Principes prodierunt quàm Cretâ Joves, plures peperit Patritios, quàm Cornelia Gracchos, quàm Spartha Epaminondas. Formæ decorem pietas in ea conſecraverat, quem illa ſic comere, ſic venuſtare videbatur, ut locò ceruſſæ mallet pallorem frequenti inductum inedia, locò minii ruborem, quo ſe pia crudelitas non raró pingebat. Primus illi ex animo apparatus fuerat, primæ ex virtutibus mundiciæ: ornatiſſimè mundum muliebrem à ſe inſtructum opinabatur, cùm adornaret aras, illuſtraret Templa: egenorum itidem veſtitum ſua credebat decora. Ita compoſuerat vitam, ut in Principe Palatio vel fauſtis Regiæ ſub penetralibus Cæleſtem animum ſpiraret. Hæc & plura alia decora in Domum LUBOMIRSCIANAM intulit ſponſa ILLUSTRISSIMA. Illud tamen maximum quod pulcherrima prole beavit Poloniam, auxit Principibùs.

Laus Celſiſſimi Joſephi Lubomirſki Iaborlicenſis Capitanei. Fratris Illuſtriſſimi Subdapiferi.

Non indignaberis Celſiſſime Subdapifer, quòd ille te præcedat in pagina; qui fraterno junctus ſangvine poſterior tempore in lucem editus. Nam humanitatis quoddam officium eſt (quâ nemo peccat) etiam natu minoribus

G primum

primum cedere encomium, præsertim ubi par nobile fratrum Lucina orbi ablactaverat; quod æquale meritîs, dignitate unanime, prospectat orbi. Hic sublimiorem terris præsefert indolem, ut pote congenitus Castori Pollux, inter geminos Fratres gemmeus. Accrescentis nomen à natura imbibit; ut ostendat quod ad summa omnia natus, incrementum titulorum non vano omine præstoletur. Indolis ejus eminentiam orbis Polonus æstimat, vel inde, quòd multoties pro aurea libertate legatum elegerat. Ille Musas omnes ad maxima eruditi orbis evexit pretia, dives eloquiô, totidem gemmas, quot ab ore profundit verba. Eum tam rarissima locupletarunt talenta, ut ingentem sui Nominis æstimationē ubiq; deposcat. Manifestat se teneris in annis indoles ætate major, in flore adulta decora, egregiîs moribûs ævi partem exiguam extendit ultra senium. Spem illam, quam Patriæ affundit vix edicere, plura ominari possumus.

Laus Celsissimi Subdapiferi Regni.

Majora Elogia, cûm Tu illorum caput sis, Tibi cedit CELSISSIME Regni Subdapifer ad coronas. Qui ad vergentis Fortunæ rotam ceu gemmam ad annulum collegisti. Verè Piscariam honorum recognoscimus; quam non aureîs Timothei retibûs, sed Tuis meritîs intercepisti. Nihil de Te humile dici potest, etiamsi ad primam vitæ plantam venerabunda ruat oratio. Adhuc infans jam in avito SRZENIAWA primus nascendi felicitate exuberavit,

quasi

quasi STANISLAUM Juno Parens non poterat in lucem aliter effudisse nisì campus gloriæ, quem merita tanti viri implere debuerant se se primò objecisset. Veluti aliter nasci non posses nisì quomodo soles oriuntur; qui ex Eridano enatantes prodeunt ILLUSTRISSIMI. Et ut paucis, primum mane vitæ Tuæ concludam, cùm adhuc per mitras reptasses puer CELSISSIMUS, nec prima aure etiam plorans audiri poteras, nisi Princeps, nisi summorum caput, talem Te nimirum, ipsi gemitus sonabant infantiles. Veluti totus sangvinis Oceanus refluebat in uno. Unde poteras tunc facere Senatorem, cum necdum virum, togam induere, cum necdum prætextam exueras. Has Infans spes honoribus, sed neq; minores fecisti scientiis. Veluti è Jovis cerebro prognata Minerva tunc Cracoviensi Academo credebatur, Eùm in sinum suum Te Mater scientiarum acceperat. Aureìs imbribûs auctus SRZENIAWA Tuus; ita arenam Literariam tunc inundavit, ut si Pallas nasceretur; non majus diluvium præstitisset, quàm abundantia ingenii Tui. Vobis enim LUBOMIRSCIIS à natura potiùs, quàm ab arte innata creditur scientia, non indita. Vos in eruditorũ Cælo prima sydera, in mortalium numero intelligentiæ. Cùm Te adhuc vix ultra infantem magnanimus spiritus dilataret, in Cracoviensi Lycæo elegisti arenâ colludere literaria, quasi Tuam literariam infantiam, tota

doctiſſimi Magiſterii univerſitas debuit educare. Quanta ingenii celeritate, quanta mentis ſubtilitate difficultates ſcientiarum percepiſti arduas, vix eloqui ſvada poteſt. Alii etenim ſub docta atomo jacent gemebundi, Tibi arena literaria non plus; quàm pulvis fuerat, in quo Tua Muſis colludebat pueritia. Politæ mentis acumen non minùs ingenioſam cæterorum ſuperabat áciem, ac quivis, in literario ſtadio greſſus, nobiliſſimos tranſcendebat æmulos. Hîs in Polonia imbutus ſcientiis, ne veluti Achillem unus Chiron, Tiberium unus Seneca, Alexandrum, unus Ariſtoteles erudiiſſet. Omni eruditione præditum caput in exteros tranſtuliſti Cælos, ut alieni etiam viderent orbes, aut potiùs Poloniæ inviderent tam vaſtiſſimi capitis virum. Iviſti in Gallias, ut ex Regni illius liliis more argumentoſæ apis, virtutis ſuccô prælibato, majorum Tuorum ceris, paria civilitatis ſimulacra, quæ toto orbi proſtarent, efformaſſes. Unde omne tuum veſtigium, quod in illo peregrino ſolo relinquebas, immortali cedro notabatur, quæ pòſt in Nominis Tui æternitatem pullularet. Deniq; quaſcunq; luſtraveras provincias Regionesq; aut accendebas ad invidiam, compoſita morum conſvetudine ſupra ætatem, aut adventûs Tui ſerenô irradiabas. Ut enim Sereniſſimo Aſtrorum Principi idem ſemper per diverſas quantumvìs plagas iter eſt ad ſublimia, ita vobis, quoties per exteros orbes magnîs

gnîs passibûs contenditis in altá, eadem semper honoris Appia hoc est tot notanda syderibus, quot virtutis Vestræ vestigiîs illustrata. Vidit Te LUDOVICUS Galliarum Rex Christianissimus, vidit inquam nec videre poterat; quin amaret. Illius Regis implevisti mentem & oculum cujus supercilii majestate sustentantur Regna, sed videre Te semel tanto Regi parum erat admittebaris in dies ád vultus Regii Serenitatem. Videbat in Te LUDOVICUS quod in suis amat liliis, hoc est in ætatis flore, morum maturitatem, virtutis autumnum, & gemmeum mentis candorem. Et tunc maximè probasti Franciæ Te Polonam Aquilam advolasse, postquam Serenissimi Solis splendores, irretorta palpebra prælibasti. Hinc amplissima omnium inibi populorum linguis se se porrigebat materies, ut tua non nisi loquerentur encomia. Habebant enim quod in Te amarent, quod mirarentur, quare certabant acriùs, instabant sollicitè, ut vultûs Tui præsentiam sibi efficerent æviternam, aut perenni exoptati hospitis fruerentur solatiò. Tot itaq; cumulatus à Gallia favoribus redibas in Patriam & quamvis lento passu in nostræ expectationis vota properabas (cum anni Tui inibi gloriose transacti ceu Ulyssis decennium nobis videbantur) tamen svavissimè Polonum orbem in spem erigebas; quôd Te integerrimum quamtociùs Patriæ reddere appromitteres. Ubi verò primùm

Reducis inaudiit rumorem Sarmatia præ gaudio in has voces erupit. Soles exteri Vobis debemus gratias, quôd fortunæ noſtræ reddidiſtis diem. Peregrina maria tamdiu noſtrum littus exſiccantia, Vobis affundimus grates, quod tantum deſideriorum æſtum, Celſiſſimô SRZENIAWA attemperaſtis, aliàs extincti caloribûs malignitatem in corde ſentiremus. Ut ergo limen Patriæ attigiſti, non hærere inter amplexus Tuorū, nō privati laris deliciis frui, ſed publicis ſtatim commodis Te impendere primum erat negotiorum. Quare Atlante humero negotiorum molem ſuſtinuiſti toties, quoties legationis officio Tibi impoſito non removebas humeros ad bonum Reipublicæ ſuccollandum. Audivit Rex Poloniarum Auguſtus magno cum animi guſtu Provinciarum Oratorem; utq; munere quodam ſvaviſſimum rependeret eloquium Subdapiferi Regni honorem conſignavit. Ingens eſt iſtud Nominis Tui condimentum; ut pote menſam inſtruens ad illecebras ſupremæ Majeſtatis, ad ſaporem Patriæ, ad guſtum Regni. Non poteris ad maxima Reipublicæ officia meliùs evehi quàm menſæ accumbens Regiæ, proximum Te reddas ad ſublimia. Neq; tamen ſola dignitate Perſonæ hos titulos admiſiſti; verùm, etiam virtutum exercitu ſtipatus Prodromum ulterioris gloriæ es promeritus. Summa in Deum, cæliteſq; pietas, clementia in ſubditos, animorum conciliatrix munificentia, amor in Patriam in cō-

cuſſa-

concussa animi fortitudo, humanissima affabilitas cōgenita sunt Principi Celsissimo adeò utquævis suā reverentiā habere debeat. Tantus igitur Oratorū conatibus occurris Princeps Celsissime. Fatiscunt sub meritorū vitutūq; Tuarū pondere ingenia sub titulorū magnitudine, omnis eloquētiæ succūbit labor. Si enī singula dotū Tuarum in campū referrē oratoriū, cresceret in immensū elogiorum magnitudo, & nondum satis gloriam Tuam dilataret. Si quoq; partem aliquam tacuisse vellem quodcunq; relinquam majus erit. Imus per compendia Tu Celsissimorum apex, magnæ Domus aggregatum, Dux Principum summa omniū. Tu in vitreis SRZENIAWÆ undis bonorum omnium speculum, Tu crystallus aquarum, in quam omnes Celsissimæ Domus radii concentrantur.

Plura LUBOMIRSCIANÆ Domus capita non recenseo, cum tot volumina in lucem edita gloriam illorum non adæquent. Quis ad codices referet illam Familiæ amplitudinem, quæ margines librorum excedit? Quis ad summulam illos rediget, qui Tomos suæ dignitatis adimplent? Ivimus ergo per compendia; non quòd calamum in sicco posuerimus; sed quod alluvies nos opprimit vestrorum meritorum. Nam ideo de Romanis plura tacuit Tacitus, quòd ad mensuram ingentium virorum sublimis quantumvis stylus necdum surrexisset. Necdum tamen vestræ gloriæ affundimus periodum. Celsissimus THEODORUS Craco- Laus Celsissimi Theodori Lubomirski Palatini.

Cracovienſis. Palatinus.

Colligatæ Domus Celſiſſimis Lubomirſciis.

vienſis, Palatinus Princeps dignitate, primũ caput inter faſces Senatorios occurrit nobis. Sua geſta loquãtur virũ diffuſa per Regna & Imperiũ, cum clarior à meritis, quàm ab elogio, nõ tã ſua illum ſublimius attollit dignitas quàm ille dignitatẽ, auget ſcilicet in dies honorẽ, quẽ admiſit, & ſe ipſo majorẽ reddit purpurã dum humeris imponit. Ab omnibus enĩ Vobis Celſiſſimis LUBOMIRIIS potiùs erigitur altitudo, quàm Vos erigit.

Cùm verô omnem Veſtri ſangvinis Oceanum traijcere non poſſit pagina Reperit ad huc quô intra gloriæ Veſtræ marginem feratur. Idem enim LUBOMIRIUS SRZENIAWA ac integra Polonia, idem ac Regna Gentes quæ intra venas claudit & littora. Maria iterum neceſſe eſt enaviget calamus. In illud influxerunt Cæſares cum Pricinpibus Neoburgiæ Reges Poloniæ cum potentiſſimis MICHAELE & JOANNE tertio & quot quot ſangvinis ſive Regii, ſive Senátorii alta numerantur in illud transfuſa. Hinc Dùces WISNIOWIECCIOS, Principes Oſtrogienſes, Zaſtavienſes, ZBARASCIOS, CZARTORYISCIOS, & Celſiſſima Nomina SANGUSZKORUM intra Domus Veſtræ tenetis littora. RADZIVILII, OSSOLINSCII, LESZCZYNII, Koniecpolii, quibus ſangvinis conjunctione proximi eſtis; ut gemma coralliis Vobis adhærent. POTOCCIORUM cruces mitras extulerunt Veſtras, atq; conjuratæ honori Veſtro ad faſtigi-

um titu-

um titulorum ſe ſe evehunt. DZIALYNIANÆ, CHOMENTOVIANÆq; ſagittæ omnẽ gloriæ campum emenſæ, metam hic invenêre. ZAMOYSCIANÆ haſtæ, veſtro littori pro ſcopo infixæ, hic ſuum gremium reperiunt. Naves OPALINIÆ onerariam Fortunæ ſuæ: Gryphes BRANICCIORUM aurifodinã: DENNOFFIORUM caput ſuũ altũ ſpectat. Dicamne longiùs, BOKUMOS, MALACHOVIOS, CETNEROS, WIELOPOLSCIOS, OGINSCIOS, OZAROWSCIOS PIENIAZKOS, & millenas alias nominũ opes, Domui Veſtræ affines. Pretia hæc ſunt LUBOMIRSCII ſangvinis, tantùm æſtimanda, quantùm orbis, & adhuc Veſtro ſangvine locupletantur. Agnoſce Celſiſſime Capitanee, ideo nos hæc tam vaſto ambitu redordiri, ut clarum ſit Tuam gentem, tot Regnorum & Poloniæ Numinibus conſangvineã in purpureum redundaſſe Oceanum.

Unum deerat ut SRZENIAWA Veſter optimo in Magno Ducatu Lithvaniæ ſangvini illaberetur, atq; non uno alveo exundans inmare purpureum extenderetur. *Quare*, per tot temporum effluentes dies exuberavit, ut tandem gemmeo Hydaſpi copulatus, gregatim erumpentibus lymphîs extra margines ſe ſe efferret. Et fauſtê velîs ſecundîs trajecit æquor iſtud, cùm fæderati ſangvinis emenſus magnitudinem. Quàm Auguſtô, & cui niſi Lechiæ fortuna illabitur, latice exundant ſociales fluvii,

ſpecta orbis! Parem ſibi ſociam vitæ ác tori Fortunam junxit, ut ſumma illis conſenſio decorum gentilitiorum, animorum, virtutum, ſemper vigeat.

Pociejovianæ Domus honores.

Jam liceat ad triumphalis Hymenæi pompam, & magni honoris confluxū Magni Ducatûs prima decora ſcilicet POCIEIOS invitare. Illa enim POCIEIORUM proſapia eſt; quæ Paleologorum, id eſt univerſorum Regni procerum glorioſiſſima, quæ ſanguine trabeatam, honoribûs purpuream deducit originem. Primorum illi, in Lithvania ſubſelliorum Poſſeſſores, non pauciores numerô, quàm primis Regni oſſiciîs. Omnes in faſciis purpurati Cives, & tenerrimis annîs conſcripti Patres Patriæ, CASIMIRUM ALEXANDRUM POCIEY, cui ceu Pelleo juveni unus orbis non ſufficit ad Elogia, glorioſiſſimæ gentis authorem, ſatis eſt ad gloriæ magnitudinem meminiſſe, qui tot gemmarum Erythræum extitit, quot pretioſiſſimorum Nepotum Pater. Hic ab Adamo Hipacio Totius Ruſſiæ Metropolita; verè prophetico ſpiritu imbuto Proavo ſuo edoctus; quòd uſq; ad duodecimā generationē ſæcula legent diffuſā per univerſū Senatoriā progeniem. Veluti glorioſa generis æternitate, Proſapia iſta ita florere debuerit, ut immenſa titulorum amplitudine totam Lithvaniam impleret. Si per laticlavia Procerum & Senatorias curules tulerint ſe elogia, innumeri Palatinîs inſignes purpurîs Do-

mum

mum iſtam cumularunt honoribûs. Si per caſtra proceſſerit ſtylus, multi ſub militaribus ſignis Magni Duces. Aliæ quoq; Senatorum Curules ſuā eminentiā debent POCIEIIS. Ampliſſimæ Ducatus Curiæ, Scipiones Mareſchalci, Regnorum, Principatuumq; limites, ſecuritatem vigilantiſſimis Excubitoribus, fides religionem ſacerrimis Præſulibus, Mars, arma heroibus, univerſa Lithvania ſuam integritatem Pociejovianæ Proſapiæ, fruſtra hic plura revocare ſæcula, aut Divos, pioſq; Manes olim immortalitati donatos inquietare. Satis ad memoriam illorum ſit; quòd non excedant mentem, illaq; Lechicî Senatûs vivant Numina, quæ orbis amat & adorat ad triumphalis pompæ apparatum, ad immortalis gloriæ decora, ad geſtientium animorum applauſum.

Votum tamen eſt eloquentiæ illos Majores recenſere qui vitâ ſuperſtites immortalem merentur gloriam. Talis primus obvenit ILLUSTRISSIMUS ANTONIUS POCIEY, Excubitor M. D. L. cui ut elogia definiat oratio, in paginam orbis abeat eſt neceſſe. Habet in illo Viro ſua Patria, quidquid in Fabiis & Metellis Roma, in Licurgis & Solonibus, Græcia, in Caſtriotis ſuſpexit Albania. Nihil ipſe vel ipſo circumfert Nomine, quod altiſſimos non mereatur honores, nil præclarè factis exhibet, quod ſortem non excedat communem. Quoties ſtetit ad limites Excubitor Strenuiſſimus, &

Illuſtriſſimus Antonius Pociey Parens Illuſtriſſimæ Neoſponſæ.

prodigioſo Nomine terrebat hoſtem & vicinas propulſabat potentias. Quocunq; ſe ferebat, invictam fortitudinem, ingentes animos, & inconcuſſum pro Patria obtendebat pectus. Uno ſe univerſam ambire poterat Lithvaniam, omnium Ducatûs Limitum Excubitor, omnium hoſtium terror maximus. Unus ille heros ceu multiplex Gerion, quovis bellorum campo inſtar exercitûs timebatur. Quare non Æmilianorum curribûs revehimus triumphos, ne nimiùm faſtuoſè laureas deducamus. Satis eſt draconem illum, quem toties profligaſti, ad gloriæ memoriā tetigiſſe, qui Achillis ILLUSTRISSIMI fulgore Martio adeo obrutus, ut cêu à fulmine, ictus ſenſiſſet: ita terrebatur magni Ducis generoſitate. Vix heros ferrum vaginâ recluſeras & jam hoſtiles minas viderat Mars adverſus, ut præceps fugeret. Primus planè inſiliit in hoſtem, inter fulgurantes bellorum machinas, inter denſiſſimas inſolentis plumbi glandes. Deniq; magna pars victoriæ Pocieiis, enſis fuerat. Si vultis ut ad plura decora delapſa ſangvinis claritudo in meridiem honorum excitetur, non plus in ſole lucis quam in hac Domo virtutis purpureæ. Tantûm ſcilicet probitate commendabilis ILLUSTRISSIMUS, ut ſi Titum Veſpaſianumq; perennes faſti recluderent, non magìs revolverent ſuo ævo Probinos; quàm Pocieianæ Domus Numas. Attollit ſe quotidie intra Aulæ Ejus parietes pietas ſacer-

rima,

rima, recolitur Christianæ vitæ ascesis, dubiumq; est num magis cælites Regiam æternitatis invisant, an Palatia ILLUSTRISSIMI. Excubat assiduè ad limites ædium profusissima munificentia expectatq; Bellisarios, quæ ultrò etiam invitis, dona impertiat. Quare, communì vocabulo, indigentium audiris Pater, sol pupillorum, sub cujus benevolentiæ fulgore, etiam cæca sors miserorum, suam videt felicitatem; Nec mortales tantùm umbras, Tuæ liberalitatis serenas luce, sed illustriore auri radio à Te profuso, etiam Numina resplendent. Encomium istud summorum est, ac etiam Tuum, longas esse Principum manus, & non ad terras tantùm, verùm etiam ad superos dextram protendere liberalem. Ultra ad Domus Tuæ insignia oculum convertimus, quæ vel ideo Crucem in summitate armorum repræsentant, ut sub hoc trophæo etiam ipsa Numina Tibi devincas. Media verò luna concavitate sua, in arma est obversa, ut ostendat; quantùm Cælos habeas Tibi acclines, qui heroum strenuissimo, in bello cataphracto, non dedignantur famulari. Plenilunium illa honoris Tui præsagiendo: jam edixit, postquam Honoratam, Filiam lectissimam, ad diei serenioris amplitudinem provexit. Quæ, vel ideo ILLUSTRISSIMA astra pollicetur; quòd illi Erydano innatet, ex quo Soles Celsissimi eluctantur.

Laus Illustrissimæ Rosaliæ Pociejowa Excubitricis M. D. L. Matris Illustrissimæ Neosponsæ.

Inter maxima Parentis ILLUSTRISSIMI gaudia ad plausum gestientium Neosponsorum in maxima lætitiæ signa, explicat se se superstes gloria ILLUSTRISSIMÆ Matris Rosaliæ de ZAHOROWSCIIS POCIEIOWA Excubitricis M. D. L. Quantùm ab illa nitoris nuptialis derivat pompa! pronū est concludere. Certè non plus à tædis genialibus erumpit celsitudinis, quàm ab illa quæ Paranymphorum interest coronæ. Eminentia illius, orbi inde pateat, quòd Majestatem in vultu circumferat. Rosîs contextam, frontis vernantiam præsefert non tantùm ex Nomine, verùm tot Chloras repingit à facie, quot grandis generositatis Helenas. Plurimos licet hæreditaverit titulos, in congenitis Proceribus occupavit honores, omnem tamen purpurei honoris gloriam, sicut Pociejoviano miscuit sangvini; ità LUBOMIRSCIANÆ Domui Mater affudit gratiosa. Gentilitio suò Korczak undas auget SRZENIAWÆ, & ceu concha gemmam explicat ad coronam Viri Celsissimi. Amplissima hæc ad Tuarum dotum laudem referam ex omni titulo Illustrissima Excubitrix, quod magnum aliquid in Te orbis suspiciat; si honores consangvineos recenseat, majus maximîs si virtutes. Sanctius Pantheon, Aulæ sunt Tuæ, in quibus ut inquilina universitas Divorum, sic familiarem Tibi

ean-

eandem effeciſti, adeo ut neq; Tibi ſit ſermo copioſior cum hominibus, quàm cum ſuperis, nec major Conſvetudo cum mortalibus, quàm cum Deo. Te aræ per Templa Fundatricem munificam, præſertim in Luceorienſi Baſilica proclamant, quas adeo magnificas effeciſti, ut Tuam gloriam in dies cælis inferant. Te egeni ſuas gazas, Te Domus caſuræ ſuum fulcrum. Te obſcura nomina ſuum Solem compellant. Veſtræ Domus ærariô refulget Vlodimirienſis Miſſio, quæ quot paſſus Apoſtolicos circumagit,tot figit veſtigia gratitudinis. Proſpectat ibidem Tuis cultibus Minima JESU Societas, quam, Lojolanis amoribus capta, adeò erexiſti, ut maximi aſſurgant in gratias immortales. Quôquô ſe levamine attollit ædes iſta, Tuæ benevolentiæ metitur màgnitudinem. *Tuæ* liberalitatis documenta per Divorum elogia declamat. Et nulla vox eſt quæ Te ſuperis non loquatur, quæ cæleſtibus faſtis non imprimat. Ita ſcilicet cæleſtium dotum in corde poſuiſti regiam, ut quid quid laudari poſſit in cæteris, apud Te tanquam domeſticum extra plauſum ſit. Prudentiâ, ſingularis perſpicacia, in religiones liberalior animus, quælibet demum virtus Princeps, nec narrari poteſt citra reverentiam, nec commemorarì, infra dignitatem. Non prætermitto & mentis Tuæ ſubtilitatem ad e-

logia referre, qua sagacitate Tua Palladis mensuram adimples. Cùm etenim rationum pondera & momenta à Tuo vertice emanant, veluti Musæ exhalassent suum ingenium; ita ad rectefactorum magnitudinem vibrantiores effundis sermones. Non unus auditô oris Tui eloquio didicit, quantûm sapere debeat alloquendo Te sapientiæ Minervam, & fluidissimos labiorum spectans concentus, non sine admiratione vocis affabilitatem contemplatur. Ulteriores elegantiæ Tuæ quas integro muliebri orbe circumfers non currunt sub calamum, cùm integrum æquor prius exhaurire debuisset ut celsitudinem Tuam possit refundere. Interim hic innuimus, quantùm Tibi accrescit solatii, cùm Filiam Tuam unicam Honoratam Nomine, re ipsa verò supra honorum culmina supremam cernis hodie influentem in LUBOMIRSCIANUM Oceanum veluti Deorum Mater, vultum in gaudia, pectus componis in tripudia. Omnem superum Regiam pompîs instruis genialibûs, ut liquescentes nuptiales tædæ in Mare purpureum exuberent, atq; avito Trifluvio auctiores titulîs reddantur.

Laus Illustrissimæ de Zahorowsciis Zamoyska, Materteræ Illustrissimæ Neosponsæ.

ILLUSTRISSIMA ANTONINA ZAMOYSKA trabeatorum in Polonia Nominum nexu gloriosissima, Naturæ titulis Celsissimæ sponsæ officio ac humanissimis gratiis Matertera,

ra, altera pietate Cornelia, animi dotibûs Lacæna, munificentiâ in Cælites planè secunda Eufrosina, quotquot in ILLUSTRISSIMAM Neptem congessit decora, universa LUBOMIRSCIANÆ Domui, honoribus & perpetuo consignavit amori. Illam Superi procrearunt ad illecebras Deorum, ad ZAHOROWSCIANÆ Domûs non cum una trabea nexum, ad orbis universi solatia, ad exemplar omnis sanctimoniæ, ad Templorum decorem, ad religionum propagationem. Quæ, sparsim aliæ excellentiam virtutis habent, hæc collecta tenet. Habuerunt ZAMOYSCIANÆ hastæ, fæderatæ huic sangvini, suum fulgorem, quæ tanto illustriùs in suo manipulo resplendebant, quantò ceu indissolubili nodô Gordio, Ejus Majestate cingebantur. Prospectant universo orbi & virtutes ejus immensæ, quibûs splendores in dies auget, & nutrit sub purpura. Quodlibet ejus vitæ filum, stamen est trabeatæ probitatis. Sive etenim primum mane exorditur, veluti aurora in Cælo: ita in suis Palatiis minora sydera aut stellas lingvas ad solem Justitiæ adorandum suscitat, ad diei Sanctioris cursum stimulat quotidie. Sive altioris diei revolvit tempora, nullum instans est; quô horæ non effluant, ad momenta superis aurea, terris verô faustissima. Si munificentiæ ejus amplitudi-

nem faſtis inſeram, tam ampla eſt, quantùm ipſa latiſſima Polonia. Hìc enim aſylum ſuum habet deplorata pauperum miſeria, hìc pupillæ omni felicitate orbatæ refugium inveniunt. Hic noſocomia ſuam Eliſabeth adorant. Hic emendicato pane intra clauſtra deliteſcentes, ſuã Mecænatiſſam abundê proclamant. Tu verò Provincia Polona Societatis JESU quantum debeas Liberaliſſimis gratiis ILLUSTRISSIMÆ, vel exinde collige; quòd nullus amnis Tibi effluit ex avito Ejus Trifluvio, nisì annus gratiæ atq; ſaturni ſæcula. Numeras beneficia, & dies ad calculos deducis; qui nuſquam prætereunt ſine benevolentiæ Ejus ſerenitate. Colligis penſum gratiarum, quod ut in ſummam coacerves: Summo Numini omnes proventus exhibes ad remunerationem tantæ amplitudinis. Pervenit ad manus Tuas áureas, Benefactrix munificentiſſima, & Venerabilis Andreas Bobola, qui ut Sanctiſſimi Clementis gratias expertus in ſua futura Apotheoſi, ita Tuo pretio ſupra argentum æſtimatus, ceu Sol in Libra inter radios Sanctorum aſcenſum parat. Valore Tuo non ſine pondere orbi aſſurget, cùm Ejus mauſolæi Majeſtatem argento redimis, faciſq; ut menſurâ liberalitatis Tuæ grandis Lechiæ Patronus evadat. Ut verô è Tua Nominis magnitudine & ſociales

Fluvii

Fluvii in honorum amplitudinem accreſcant, hauriunt ad Hymenæi ſolemnia Tuas gratias; eoq; magis honorum affluentiam pollicentur; quod è ſinu Tuo propendeant.

Oberro animô colligatæ Domus tam POCIEIOVIANÆ, quam ZAHOROWSCIANÆ adita, & Scipionum me aut Camilorum atria ingreſſum exiſtimo. O quot quantaq; occurrunt Senatorum Nomina! quàm illuſtres cum Polonis Proceribus affinitates! Primi ſe oculis offerunt CELSISSIMI PRINCIPES SANGUSZKII, RADZIWILII, ILLUSTRISSIMI SAPIEHII, OGINSCII, WOLOWICZOWII, BRZESTOWSCII, HUMIECCII, BORZĘCCII & alii quàm plurimi. Materni verô ſangvinis fæderati nexû, CELSISSIMI PRINCIPES WISNIOVIECCII, maxima Poli Sármatici Luminaria, publicæ Regni fortunæ obeliſci. ILLUSTRISSIMI POTOCCII triumphantis orbis trophæa. LEDOCHOWSCII, WIELOHORSCII, ZAMOYSCII, MIACZYNSCII, KRASICCII, OLIZARII, SACZKII, CZACCII, STĘPKOWSCII, RADECCII & ſexcenti alii, qui Poloniam implerunt meritis, ampliarûnt gloriâ, illuſtrarûnt honoribus, iidem Hymenæi intendunt Majeſtatem, animorum ſtabiliunt fædera, & triumphalem augent comitatum. Omnes iſti ſua decora titulos animoſq; conferunt, ut Vos fontes ſangvinis tra-

Colligata Domus tam Pocieiorum quam Zahorowſciorum.

beati Cellissimi Neosponsi videant exundantes.

Laus Illustrissimæ Neosponsæ

Restat ut ILLUSTRISSIMA Neosponsa, in illud æquor defluat; quod flumina revehunt oratoria ad honoris abundantiam. Honoratam hanc procrearûnt superi, quam à primo vitæ fonte illam esse voluerunt, à cujus eminentia progenies honorum, dignitatum partus, titulorum prosapia oriretur. Ceu ad Pandoræ vultum omnis Deorum color, ita ad illius venustatem omnis honor sua repingit parelia. Tanta in fronte Tua CELSISSIMA PRINCEPS majestas, tam plenum gravitate supercilium, tam vivida oculorum acies, tam exporrecta frontis hilaritas, ut si hodie Imperiorum suffragia ex vultûs peterentur decoribus, Reges posses ex ore mereri. Si imitator ille naturæ Zeuxes, absolutissimum venustatis exemplar Dearum pulcherrimam coloribus adumbraret, nullâ credo aliâ præter Honoratæ vultum egeret ideâ; de qua veriùs protulisset epithalamicus Vates, quàm de Stilliconis consorte dixerat.

Quis dignior isto
Vultus erit? non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.

Major tamen Tua commendatio ex insigni Virginitatis verecundia assumitur, quâ tanto-

pere

pere emines, ut qui, in eam palpebram desixerit.

Credat ex æthere lapsam.
Stare pudicitiam vel sacro thure vocatam
Junonem.

Quàm verò Materno cum sangvine pietatem, morum suxisti innocentiam, eadem devincis superos, expugnas Cælum, mortales terrarum animos superas. O si Apelles! si Parrhasius aut quispiam pingendi artifex, ut vultus generosos effomaret, ita animum Tuum depingeret? immortale sæcula haberent exemplar virtutum. Longius Lucina Parens, amicissimo sinu pectoris sui fovit delicium; ut Honoratam Lechiæ, ceu alteram Pulcheriam educasset Gratiano, cui tot honoris capitolia in posterum surrexissent, quot LUBOMIRII fascibûs Senatoriis ubiq; celeberrimi attolluntur. Hic itaq; virtutis Tuæ & generis ILLUSTRISSIMI non obscurus est index, qui pulchrè à natura effecti corporis Tui symmetriam permixtam virtute repræsentat, qui eò magis Te commendabilem reddit LUBOMIRSCIANÆ Domui, quòd illa, fluminibus SRZENIAWÆ purpureis illaberis; quæ Materno Tuo KORCZAK ac optimis dotibus mare non uno murice respersum orbi Polono appromittas.

Tales itaq; nexus sangvinis cum fortunatus Hymen exigit, applaudite felicitati Ve-

M strae

ſtræ CELSISSIMI Neoſponſi. Nulli melior corona Viro Uxor optima poterat obtigiſſe; quàm illi quæ de ſtirpe ILLUSTRISSIMORUM ZAHOROWSCIORUM Honorata annulo Polycratis eſt deſponſata. Tale connubium pro Rhea Saturni ipſi expoſcerent, Gradivus Venere poſtpoſita exambiret, omnes Honori intra titulos numerarent. Cêu Sarmatico Scipioni nupſerit Cornelia, Agryppina Auguſto, ita Honorata STANISLAO. Unam ex his conjugem CELSISSIMAM Thetidem trabeatam Purpureus Poloniæ Neptunus adlegiſti, & veluti Iberum Pactolo, Gangetem Tago per fæderata connubia ſociaſti. Omnis ſe dignitas collegit in unam vel ideo quòd Tuo ſtemmati, influxerit. Nihil non Principis Tituli habes in Conjuge CELSISSIMA. Ut ſrontem attollit ad mitras, ſic vultum Parrhaſius honor roſis depingit ad trabeas, omnia ad invitamenta curulium, ad illìcia titulorum. Tantis igitur redimiti triumphîs defluite ad Oceanum trabeatum, properate ad gloriæ capitolium. Aperit ſe vobis honorum Appia, præſtolatur titulorum Regia, paranympha expectat fortuna. Jam anchoram bonæ ſpei publica felicitas veſtro fæderati ſangvinis injecit Oceano. Jam de vinculo connubiali Veſtro Hæredes devinctos Reipublicæ

omina-

ominatur, jam dum animam ſpiratis in unám, uniones ad Coronam ſperat Patria. Idcirco ad connubiale hoc fædus; ita dexteram jungite dexteræ, ut Veſtris manibus conſtricta Polonia, in faſces & manipulos arctetur Senatorios, ita ſociales dies agite, ut Veſtrô concordi animò integra vivat Patria ad ſua ſolatia. Adſunt hodie vota Regni, auſpicatiſſima, fundunt omina ſuperi. Innata Magnorum Progenitorum faventia pectora, obligati Veſtræ Domui adſtant Proceres, cuncti ſpem non vanam ſibi appromittunt de tam altiſſimo ſangvinis trabeati profluvio, in unum æquor coalito. Dicuntq; quòd ſuperîs faventibûs effluent in poſterum colligatis Nominibus decora, Senatui magna columna, Vobis ingentia ſolatia. Illud præcinentes Neoterici,

Conſcia tot decorum Veſtro ſe mergit in amne
Lechia, ſe Veſtro pulcher miſcere profundo
Sangvis amat, totuſq; libens affunditur orbis.
Fit SRZENIAWA ſinus Lechidarū ſangvinis alti.

Ad extremum Lojolanæ ſtellæ CELSISSIMO SRZENIAWÆ affixæ, & ſuper avitum KORCZAK æviternè ſuſpenſæ Cynoſuram præbent Domui supremæ ad decurſus vitæ Veſtræ fortunatiſſimos. Fluite nunquam interruptîs paſſibus ad fortunatas in Polonia Inſulas, ad portum felicitatis exoptatæ, ad Piſcariam omnium in Sarmatia titulorum. Non

vos ſcopuli impediant adverſi; quominus commercium cum maximis honoribus contrahatis. Intra Domus Veſtræ littora ille tantum decurrat alveus, qui totidem ornamentis conſtet, quôt guttis celebrata alibi flumina vix devexere. Quas verò tædas pronuba virtus accenderat, illas inextinctas ſemper ad ſplendores perennes conſervet. Iſtud Societatis JESU votum maximum, Luceorienſis verò Collegii ac Vlodimirienſis Miſſionis obligatio immortalis, Veſtris fluminibus innatare ac cêu arena in maris Veſtri profundo immergi. Nam dum haurimus de his fontibus trabeatis aquas, memores beneficiorum; hîs votîs puteum CELSISSIMUM CORONAMUS.

Ad M. D. Gloriam.

